

In rebus perobscuris quas historiae mediae aetatis habet permultas, caedes Philippi, Germanorum regis, imprimis digna mihi visa est diligentiore cognitione, propterea quod maxima est de ea re et veterum et recentiorum scriptorum dissensio. Nam res medii aevi, ut omnino rationibus magis variis diiudicatae sunt, quam ullius aetatis, ita in singulis quoque earum partibus historici in diversissimas abierunt sententias. De Philippi quidem interitu quamquam a nonnullis viris et eruditionis copia et iudicii subtilitate maxime conspicuis diligentissime copioseque ita est disputatum, ut si quis eandem materiam denuo tractare atque expendere aggrediatur, novi quid proferre non posse, sed rem actam agere videatur, tamen mirari licet, quod tam multa adhuc restant in veterum scriptis illustranda. Neque enim verae caedis illius caussae ad hunc diem sunt detectae, nec non earum rerum, quae ad interfectoris vitam spectant, permultae si minus falsae at in maius auctae inveniuntur, ita ut vera a falsis vix possint distingui. Atque hac ipsa in re tractanda scriptorum iudicandi varietas eo maior est, quo minus historiae fide adhuc ita est comprobata, ut in dubium non possit vocari: quin etiam caedes illa rebus inter se dissentientibus veritatique repugnantibus sic est relata, ut quae sint ficta, quae vera, si pro virili parte hoc loco exquirere coner, operae pretium mihi videar facturus.

Hanc igitur quaestionem a viris doctis tam diverse tractatam ita absolvere nobis posse videmur, primum ut Ottonem, palatinum de Wittelsbach, caedem Philippi, Germanorum regis, nec coniuratione antea facta nec consulto et praemeditatum, sed caeca ulciscendi cupiditate abreptum perpetrasse demonstrarem, deinde mitiori eundem fuisse ingenio, nec tam saevis et ferocibus moribus, quales multi eius aetatis finxerunt scriptores.

Priusquam autem ad propositum accedamus, pauca praemittenda erunt cum de auctoribus veteribus, qui Philippi interitum memoriae prodiderunt, tum de recentioribus, qui relata in disceptationem vocarunt. Veterum cum multi rem illam annalium modo leviter et breviter attigerint, tam pauci restant, qui eius rei memoriam diligenter complexi sunt, ut penitus perspicere non iam possimus, quibus de caussis caedes Philippi commissa sit. Accedit, quod plerique scriptores, in quibus auctores chronici Sampetrini et Urspergensis digni sunt, quos praecipue commemoremus, non carent suspitione studii atque irae, quare magna iis fides haberi non potest. Sed non solum veteres, verum etiam recentiores in contrarias discedunt partes, quorum alii necem coniuratione exortam esse existimant, atque Ottonem fingunt hominem crudelissimum atque ferocissimum, neque ullam excusationem admittunt, nisi quae in illorum temporum immanitate sit posita: huius generis princeps putandus est Abel, vir acutissimus, qui summa cum diligentia atque sagacitate argumentis

ex fontibus haustis coniuratione facta Philippum occisum esse comprobat¹⁾. Contra ea Luden, clarissimus ille populi Teutonici historicus, rebus fictis minimeque probabilibus Ottonem Philippum interfecisse plane inscientem omnique culpa carere demonstrare sibi proposuit. Caedis causas, ait, quae ab nonnullis scriptoribus afferri solerent, in coniecturis esse [positas eamque ob rem fictas atque falsas, cuius opinionis levitas cuique rem strictim tantum attingenti tam perspicua est, ut mirum videatur, quod Zöpfl²⁾], doctissimus ille iurisconsultus, Ludeni sententiam secutus est.

Ottonis culpam quanta fuerit exquirenti res sic erunt exponendae, ut facile perspicui possit, quibus causis impulsus palatinus facinus commiserit, utrum ex coniuratione et bono animo, an potius perfidia Philippi lacessitus et ira repentina prolapsus. Neque vero hoc loco praetereundum esse censeo, qualis fuerit Germaniae status sub finem saeculi XII et ineunte saeculo XIII, quippe qui, cum ad mores Ottonis totamque eius agendi rationem magnam habuerit vim, de diiudicanda eius culpa maximi sit momenti.

Praematura Henrici VI morte, viri potentissimi maximeque strenui, Germania in tantas incidit perturbationes, quantas neque antea neque post perpessa est. Tunc enim principum effrenatae licentiae et turpissimi lucri quaerendi cupiditati latissimus apertus erat campus, nec non exterorum principum largitionibus aliisque malis artibus illorum animi patebant. Itaque civitatem aetate illa diuturnis ac gravissimis discordiis ita dilaceratam conspiciamus, ut nescio an nulla unquam tantos tumultus totque rerum omnium viderit conversiones. Principes de rege eligendo inter se dissentientes³⁾ in duas discesserunt partes. Frederico, Henrici filio, cuius tutelam Innocentius III

1) Abel, König Philipp der Hohenstaufe XIX. pag. 256. 'Jedoch die Ermordung König Philipps war nicht eine That plötzlich aufflammender Rachsucht, in Folge einer Verschwörung war er von dem Pfalzgrafen getödtet. Und als seine Mitverschworenen werden Bischof Ecbert von Bamberg und sein Bruder Markgraf Heinrich von Isterreich genannt.'

2) Zöpfl, Deutsche Staats- und Rechtsgeschichte. I, 156.

3) Chronic. Ursperg. p. 306. 'Alemanni, qui omnem iustitiam detestantur et odio habent, et tantum bonis et honoribus suis insidiantur ad invicem et quod deterius, his deficientibus execrabilibus se occidunt vulneribus.' p. 308. 'principes terrarum et barones arte diabolica edocti nec curabant iuramenta infringere nec fidem violare et ius omne confundere, nunc recedentes quam plurimi a Philippo Ottoni adhaerentes et e converso'. — Gerlaci Chronicon. p. 137. 'Mortuo imperatore mortua est simul iustitia et pax imperii'. — Annales Argentinenses p. 91. 'Totus orbis in morte ipsius conturbatus fuit'. — Godofredus Coloniensis ad a. 1197. 'Igitur rumor de obitu imperatoris emergens homines pravos et pestilentes ad direptionem et praedam quaqua versum instigavit, qui tamquam lupi rapaces in destituta ovilia saevientes his, quos opprimere poterant, nihil reliqui fecerunt, donec cognito, quod adhuc viveret imperator a saevienti licentia repressi'. — In dem an den Papst gerichteten Schreiben Philipps vom Jahre 1206 heisst es: 'Scit satis prudentia vestra, qualiter post mortem Henrici turbatum fuerit imperium et multis turbationum incuribus non minus mirabiliter quam miserabiliter lacerari coepit et agitari et per omnes angulos et fines suos ita concuti, ut a prudentibus non immerito desperari posset, ipsum Romanum imperium diebus nostris in pristinum statum nunquam posse reformari, cum quilibet iam sine iudice viveret et sine lege et quidquid libitum foret, faceret pro motu et arbitrio suae voluntatis . . . cum nos de partibus Tusciae reversi fuisset in Alemanniam, totam terram non minus turbatam invenimus, quam mare ab omnibus ventis posset conturbari'. — Annales Argent. p. 92. 'Homines ac possessiones imperatoris nullum habentes defensorem in omnibus terris ab omnibus diripiebantur'.

papa gerebat, quamquam iam patre vivo regnum Romanum erat delatum, tamen principes dicere non dubitarunt ¹⁾, se filium creasse regem timore patris commotos: se quidem in Friderici obsequium iurasse, sed iureiurando non esse obstrictos, quod Fridericus illo tempore non fuisset baptizatus. Quo factum est, ut duae partes orientur, quarum unae Philippum, Henrici VI fratrem, elegerunt regem, alterae Adolfo duce, episcopo Coloniensi, praeoptabant, ut Bertholdus de Zähringen regnum occuparet. Hic vero cum se ab omnibus principibus agnitum iri regem desperaret, haud ita multo post, ut ad Philippi partes transiret magnis promissis commotus est ²⁾. Qui cum regnum Philippo cessisset, partes Guelficae tantum aberat, ut cum Stoffensibus in gratiam redirent, ut Adolfo auctore Ottonem, tertium Henrici filium, cui cognomen fuit Leoni, regem facerent. Gravissimo bello inter Gibellinos et Stoffenses undique exorto, Philippus, qui magis consilio quam armis superior erat Ottone, pacato summo pontifice iam in eo erat, ut optata impetraret, cum in civitate Bambergensi adventum auxiliorum exspectans ab Ottone, palatino de Wittelsbach, occisus est. a. d. XI. Cal. Iul. a. 1208.

Summa rerum breviter exposita, quomodo Philippus interfectus sit, ordine narrandum erit. Omnes, qui caedem illam posteritati prodiderunt, scriptores quamquam id consentientes videmus, regem vulnere extinctum esse a palatino de Wittelsbach inflicto, maxime tamen discrepant de rebus, quae caedem antecesserunt eamque subsequutae sunt. Qua de re quam variae diversaeque sint opiniones veterum scriptorum cuique illorum narrationes accuratius perlegenti evidentissime elucet. Ottonem, ut exempla aliquot proferam, solum in Philippi conclave intrasse Arnoldus Lübeckensis (VII, 14) refert. Annales Colonienses maximi ad. a. 1208 tradunt, eum cum sedecim armatis militibus in palatium venisse introitum petentem. Chronicon Reinersbornium ad. a. 1208 narrat, eum bis vel ter pulsato ostio non admissum indignantem abiisse neque multo post uno comite ingressum esse: in annalibus Burkhardi Urspergensis (p. 126) legimus, comites Ottonis fuisse ex militibus Henrici de Andechse eiusque fratris Ecberti, episcopi Bambergensis: legati denique pontificales nuntiant, marchionem de Andechse, quem Istriae marchionem appellant, et ipsum Bavariae ducem caedi adfuisse. Sed longum est enumerare omnes dissensiones, quas summa cum diligentia collegit Luden in libro, qui inscribitur historia populi Teutonici: sufficiat paucis demonstrasse, non multum fidei habendum esse eiusmodi narrationibus. Licet autem discrepantiae in chronicis annalibusque permultae extent, tamen adduci hac diversitate non debemus, ut Ottonem ab omni culpa liberemus, praesertim cum nemo aequalium Ottonis innocentiam defendere conatus sit. Itaque Ludeno quamvis de populi Teutonici historia

1) Chron. Ursperg. p. 319. 'Allegabant ipsum puerum esse electum maxime pro summa patris potentia et ut per hoc patri placere posse nt'.

2) Annales Argentinenses p. 92. 93. 'Die igitur statuto Coloniae convenientes inferiores principes praedictum ducem in regem elegerunt, tali conditione adiecta, quod 1200^{mas} marcas argenti dare deberet. Quod cum illi relatum esset, recusavit regnum accipere et pecuniam dare dicens, se nolle regnum pretio emere. Tandem precibus suorum devictus promisit se certo die venturum et quod promiserat facturum. Postea poenitentia ductus ad diem statutum non venit, cognoscens, iam ducem Suevorum ad regni gubernacula sibi contrarium, asserens nisi unanimiter ab omnibus principibus eligatur, nunquam per eum scisma in regno fore oriundum.

optime merito assentiri non possumus dicenti¹⁾, Philippum sola Palatini imprudentia interiisse. Nisus enim auctoritate Hugolini, legati cardinalis²⁾, Arnoldi Lübecensis³⁾, Chronici St. Petri⁴⁾ et Reinersbornii⁵⁾ contendit, Ottonem die illa fatali in palatium venisse, regem non satis bene valentem ludis gladiatoriiis, ut consuevisset, oblectaturum: saepius vero ensem per iocum supra regis caput artificiose vibranti Philippum ludum interdixisse. Cum autem Henricus de Waldburg, ne regem laederet, timens palatinum ludentem prohibere conatus esset, factum esse, ut rex plaga illa calamitosa vulnus mortiferum acciperet. Rege mortuo iis, qui adessent, terrore subito perturbatis facinus aliud visum esse atque antea idque corruptum posteritati proditum esse. Eiusmodi argumenta, quae ut supra diximus, leviora sunt, quam ut defendi possint, quomodo vir tam magni ingenii proponere potuerit, cum Abelio⁶⁾ valde mirari licet.

1) Luden, Geschichte des deutschen Volkes vol. XII, lib. XXV cap. 10. p. 219. 'Der Pfalzgraf Otto wusste, dass seine Scherze den König Philipp zu erheitern pflegten, namentlich seine Fechterkünste. Für eine solche Erheiterung durfte er ihn wohl heute besonders empfänglich halten. Also begab er sich hin und fing an Possen zu treiben, mit Beziehung auf den Aderlass des Königs neckend, scherzend, das Schwert kunstmässig schwingend, als führe ein Wundarzt die Lanzette. Als aber Philipp das Spiel untersagte, entweder weil Otto den Muthwillen wirklich zu weit trieb, oder weil der Bischof von Speier aus Angst vor dem blossen Schwerte davonlief, da erhob sich der Truchsess Heinrich von Waldburg und versuchte den Pfalzgrafen an der Fortsetzung des Spieles zu verhindern. Er mag ihm den Arm gehalten haben. Durch diese Einmischung blieb Otto nicht mehr seines Schwertes Meister und der König, der wohl auch nicht unbeweglich da sass, erhielt die tödtliche Wunde. Otto, von dem ungeheuren Unglück erschüttert, nahm seine Zuflucht zu dem Bischof von Bamberg. Der Bischof aber den Lärm bemerkend, das Getümmel, das Geschrei, das sich furchtbar erhob, mag ihn dann zur schleunigen Flucht bewogen haben, weil er sein eigenes Leben und das Leben seines Bruders nicht weniger in Gefahr sah, als das Leben des Unglücklichen. Wenn für Otto Gerechtigkeit zu erwarten war, so konnte er sie gewiss nur dann finden, nachdem die Leidenschaften ausgetobt hatten'.

2) Epist. ad. Innoc. n. CLII p. 252. 'Philippo hora nona in palatio episcopi quiescente, Palatinus comes palatium, in quo erat ingressus, pulsansque ad ostium camerae more admittitur consueto; a quo cum Philippus *verba iucunda vel ioculatoria sicut consueverat, expectaret*, ille statim cultellum, quo erat accinctus, exseruit et Philippo gladio ludere prohibenti respondit: non erit hic tibi lusus; et in continenti ipsum transfodit'.

3) Arnold. Lüb. p. 738. 'Una igitur dierum Philippo secretius in cubiculo consistente, quia medianam, in utroque brachio inciderat, palatinus nudo gladio in atrio regali *quasi ludens* incedebat, sicque accedens ad cubiculum regis ostium clanculo pulsabat et ingressus *simili modo* coram rege se gerebat'.

4) Chron. St. Petri p. 236. 'Palatinus comes Otto de Wittelsbach diabolica lascivia *iocando* se cum evaginato gladio regis obtutibus frequenter ingressit, qui fraudis simulatione tam regis illusit sollertiam quam principum curiositatem'.

5) Chron. Reinersbornium fol. 339. 'ingrediens evaginato, uti semper solebat, *proludit* gladio'.

6) Abel. l. c. XIX. adnot. 21. p. 338. 'Es ist ein schmerzliches Gefühl, über einen einst hochgefeierten Mann, zu dessen Füßen man selbst noch gesessen hat, durch seine eigenen Werke so schonungslos enttäuscht zu werden. Die Geschichte des staufischen Zeitalters namentlich ist wohl kaum jemals so schief und verkehrt und ohne jedes tiefere Verständniss behandelt worden, als in dem Luden'schen Buche. Wenn man sich durch all' diese »mag« und »mochte«, durch diese Fülle von sinnreich falschen Einfällen und luftigen Hypothesen durcharbeitet, so kann man sich kaum des Urtheils erwehren, dass es dem Verfasser bei vielen glänzenden Eigenschaften doch an der historischen Cardinaltugend, dem ernstesten Wahrheitssinn gefehlt habe. Für

Iam cum satis explicatum esse videatur, quantopere inter se dissentiant scriptores et veteres et recentiores, priusquam ad primam quaestionis partem aggrediamur, rem ipsam, ut supra diximus, breviter exponemus auctores luculentissimos ¹⁾ secuti. Philippus cum belli contra Ottonem eiusque socium Waldemarum, Danorum regem, brevi spatio interiecto initium facturum in palatio episcopali Bambergeni auxiliorum adventum exspectaret, a. d. XI. Cal. Iul. Beatricem, unicam Ottonis de Burgundia, fratris sui defuncti, filiam nuptam tradidit duci Meraniae eamque aliquantum itineris comitatus est. Circiter tempus meridianum in palatium reversus in secretum locum se recepit, ibique non satis bene valens venam incidit. Qui cum omnibus praeter episcopum Spirenses camerarium et Henricum de Waldburg dapiferum remotis quiesceret, Otto intrat gladioque evaginato ad regem accedit. Philippus nihil doli subesse existimans, reconde, inquit, gladium, hic non est, cur gladio utaris; cui Palatinus respondit: re vera hic est locus, ubi perfidiam luas. Haec ubi dixit, regem circa cervicem percussit. Hoc uno ictu cum arteria aperta regem statim occidisset, Episcopo Spirensi se occultante alios duos in eum irruentes vulneravit et egressus fugam capessivit. Ottonem igitur Philippum eo consilio interfecisse, ut eius perfidiam persequeretur, neminem fugere poterit, qui rem accurato iudicio perpenderit.

Omnibus, quae ad rem pertinent, expositis iam oritur prima quaestio, utrum caedes perpetrata sit ex coniuratione, an potius Philippi pro iniuriis Ottoni illatis ulciscendi caussa.

Illud comprobant nonnulli annalium scriptores, qui '*per-conspirationem*' Philippum occisum esse tradunt ²⁾. Haec autem opinio inde manasse videtur, quod episcopus Bambergensis eiusque frater Henricus de Andechse Ottonem in fuga capessenda adiuverant, quare in societatis vel saltem conscientiae suspicionem inciderent necesse fuit.

Accedit, quod idonea argumenta nemo eorum attulit, qui hanc opinionem amplexi sunt. Conradus quidem de Ursperg, abbas, gravissimus rei illius auctor l. c. ait: 'ille vero malignus ad episcopum et marchionem confugit, unde et illi *rei habiti sunt* de tali mordo'. Chronicon montis sereni sive Lauterburgense (col. 226) dicit: 'necis eius Eccardus, Bavembergensis episcopus et frater eius, marchio de Andechse, consocii *ferebantur*, sive autem haec opinio *vera fuerit sive non* certum est, episcopum periculum a fidelibus regis timentem propter hoc plurimis diebus exulasse,

Herrn Prof. Zöpfl in Heidelberg freilich hat Luden das Verdienst, Pfalzgraf Otto's Unschuld bis zur Evidenz bewiesen zu haben; er nimmt daher auch die Luden'sche Darstellung in ihrer ganzen Breite wörtlich in seiner deutschen Staats- und Rechtsgeschichte auf.

1) Annales Col. max. ad a. 1208. Chron. Ursperg, p. 128. Chron. Sampetr. col. 236. Chron. Reinersbornium fol. 339. Hermanni Corneri Chron. ad a. 1208. Otto de St. Blasio, p. 511. Conradus de Fabaria, Casus St. Galli. c. 7. Arnoldus Lübecensis p. 738.

2) Chron. Augustense p. 367:

Annales Salisburgenses	}	ad a. 1208.
Annales Augsburgenses		
Ioh. Steindellii Chronicon		
Hermanni Altahensis annales		
Chron. Clastroneoburgense		

Arnold. Lübec. VII, 16, 1.

fratrem vero eius suis omnibus exspoliatum et marchiam eius a duce Bavariae occupatam.' In annalibus Marbacensibus haec leguntur: 'Porro huius facti et occisionis conscius fuisse dicebatur Marchio de Andechse: Episcopus quoque Bambergensis super eodem facto infamatus erat et suspectus habebatur et ob hoc non modico tempore cogitur exulare.'

Paucis vero annis exactis Ecbertum episcopum omni crimine absolutum esse cum multi alii¹⁾ tum iidem annales Marbacenses docent hisce verbis: 'Qui commigrans in Pannoniam ad sororem suam reginam moratus est illic aliquantulum tempus, quousque tandem romano pontifici repraesentans se et ab eo ad sedem suam remissus ad expurgandum se iuxta decreta canonum, prout sententia tum fuerat, a sede Romana ecclesiae satisfacit.' Eum tribus annis post mortem regis omni societatis suspicione liberatum in pristinam dignitatem restitutum esse Godefredus Coloniensis refert²⁾.

Etiam Henricus de Andechse, postquam Philippo occiso in Palaestinam³⁾ profectus contra paganos fortissime pugnavit, quindecim annis post marchiam recuperasse ex annalibus apparet⁴⁾. Quinquennio post interfuit principum concilio apud Straubing cum Ludowico, duce Bavariae, atque Leopoldo, duce Austriae⁵⁾.

Quod Philippo extincto episcopus Bambergensis eiusque frater statim diffugerunt, ne animis irritatis in periculum capitis inciderent, non est, cur ob eam rem principes illos caedis socios sive conscios fuisse putemus. Qui quamquam Ottonem post caedem perpetratam in domum suam receperunt eamque ob causam societatis suspensionem evitare non posse rati fuga salutem petierunt, nullum tamen argumentum adhuc allatum est, quo eos conscientiae convictos esse demonstrari possit. Atque eo magis omnem coniurationis suspensionem abiciamus necesse est, cum cogitaverimus, Ecbertum episcopum et Henricum, marchionem de Andechse, Ottonis, ducis de Merania, fratres fuisse, qui ipso die, quo Philippus occubuit, Beatricem, eiusdem neptem, Ottonis de Burgundia filiam, in matrimonium duxerat, necnon fratres illos hoc matrimonio firmissimis affinitatis vinculis cum Stoffensibus esse coniunctos⁶⁾. Quae cum ita sint, societate nihil aliud spectasse videntur, quam

1) Hoffmann: Annales Bambergenses III, 12. Hartzheim, conc. Germ. III, 484. Aventini annales Boior. VII, p. 405. — Alberici Chronicon. p. 447. 'Episcopus autem Bavembergensis Engelbertus huius regis mortem pertractasse dicebatur, unde et Romam abiit et a papa Innocentio III depositus eo, quod omnes accusarent eum, et tamen non multo post per eundem papam fuit restitutus.'

2) Godof. Col. ad a. 1211. 'Sifridus Moguntinensis archiepiscopus et legatus a papa constitutus . . . apud Bavinberg colloquium habuit, ubi episcopum ipsius civitatis propter necem Philippi regis expulsam restituerunt.'

3) Aventin. p. 405. 'Heinricus in Palaestinam elabitur.'

4) Mon. Boic. VIII, 170. 'Ego Dei gratia Henricus Marchio Istriae.' — apud Reifenstein 1223.

5) S. S. v. v. Boic. bei Oefe. I, 502.

6) Raumer, Gesch. der Hohenstaufen II, 436. 'Was konnte diese Männer hierzu vermögen, da Otto von Meran, dessen Hochzeit mit seiner Nichte Philipp so ehrenvoll an seinem Todestage feierte, ihr Bruder war. Woher diese Spaltung unter den Brüdern, da der Bräutigam nirgends der Theilnahme beschuldigt wird? Woher diese Tücke an dem Tage so ehrenvoller Auszeichnung ihres Hauses, so erfreulicher Gewissheit von Philipps unbefangenen und günstigem Sinne. Es liegt noch ein Schleier über diese Frevelthat, und es müssen noch andere finstere Beweggründe obgewaltet haben, welche wir in den uns zu Gebote stehenden Quellen nicht entdecken können.'

ut Ottonem cohortarentur, ut propter iniurias sibi illatas poenas expeteret¹⁾, quam satisfactionis exigendae exhortationem non habemus, quod coniurationem sive conspiracyem existimemus. Quid vero sit, quod nimis anxie ex auctoribus aliquot societatis causas summo cum studio exquiramus, non intellego, quas Abel, acerrimus ille coniurationis defensor, ipse dixit²⁾ nimis leves atque infirmas, quam ut de culpa eorum recte iudicare possimus: quidni potius iis assentiamur, qui eos postea ab omni culpa absolverunt itaque honorum et dignitatem principum Germanorum conservarunt.

Etsi in Martini Fuldensis Chronicis hic extat locus: 'Philippus a comite Palatino, Ottonis partem tenente, occiditur', Ottonem IV, qui si Philippo longior vita contigisset, sine dubio devictus

1) Otto de St. Blasio p. 511. 'Tempus opportunum ratus atque instigatione marchionis de Andechs animatus in vindictam exarsit.'

2) Abel. l. c. XIX p. 236. 'Wie verdächtig sie aber auch ihr damaliges Benehmen und ihr Verhältniss zu dem Pfalzgrafen gemacht haben mag, dass auch nur ein Verdacht sie treffen konnte, sie die Brüder des Herzogs von Meran, der so eben auf die engste und ehrenvollste Weise mit dem staufischen Hause verbunden worden war, weist auf frühere Vorgänge hin, in denen wir dann auch zugleich die Gründe ihrer Bethheiligung an Otto's Rache that zu suchen haben. Aber auch hier sind es nur höchst unsichere und schwache Spuren, die uns leiten. Was zunächst in Betracht kommt, ist der Umstand, dass Ecbert und Heinrich durch ihre Schwester Hedwig die Oheime von Pfalzgraf Otto's zweiter Verlobten waren. Schrieben sie etwa gleich Otto selbst dem Könige die Absicht zu, diese Verbindung zu hintertreiben, oder sahen sie darin eine Benachtheiligung und Verunglimpfung ihrer Anverwandten? Indess schon früher müssen die beiden Brüder in einem schlechten, wo nicht feindseligen Verhältnisse zu König Philipp gestanden haben. Bischof Ecbert von Bamberg hatte sich auf seiner zweiten Reise nach Rom im Jahre 1206 zu unbedingtem Gehorsam gegen den Pabst in der Reichsangelegenheit verpflichtet, bald darauf unter dem 29. November von Innocenz den Auftrag erhalten, dem Könige Andreas von Ungarn die päbstlichen Glückwünsche zur Geburt seines Sohnes darzubringen. Diese Sendung scheint indess noch andere und zwar politische Zwecke gehabt zu haben. In Deutschland wenigstens glaubte man das, ja es wurde gegen den Bischof eine Klage auf Hochverrath erhoben, weil er mit seinem Schwager, dem Ungar-könige, ein gegen das Reich und König Philipp gerichtetes Bündniss abgeschlossen habe. Er wusste sich jedoch so gut zu rechtfertigen, dass er auf dem Augsburger Reichstag im December 1207 von aller Schuld freigesprochen wurde.' (Hoffmann Annal. Bamberg. III, 12. 'Sequenti anno (1207 Innocentis III papae nono) concilium apud Augustam Vindelicorum est actum, cui interfuerunt omnes fere Germaniae principes. In eo concilio Ecbertus, episcopus Bambergensis, de maiestate est postulatus, quod foedere cum Andrea, Ungariae rege, affine inito adversus imperium conspirasse diceretur, qui tamen responso, quo facile liberare regem suspicione potuit, dato a damno vel periculo liber exivit.') Ueber Ecberts Bruder Heinrich und über seine politische Stellung sind die Quellen noch dürftiger. Wir finden ihn urkundlich nur ein einziges Mal am 24. Mai 1205 um König Philipp, und dieser auffallende Umstand verleiht der späteren und vereinzelter Nachricht einiges Gewicht, der zu Folge Markgraf Heinrich den sonstigen Gesinnungen seines Hauses ungetreu, von Philipp abgefallen und auf Otto's Seite getreten sei; wobei indess der weiteren Angabe, dass ihn Philipp darob seiner Würde entsetzt und sein Land dem Herzoge Ludwig von Baiern verliehen habe, offenbar eine Verwechslung mit dem am 15. Nov. 1208 in Folge des Mordes an König Otto erlassenen Urtheilsspruch zu Grunde liegt. Dies ist alles, was uns über die andechsische Brüder und ihr Verhältniss zu König Philipp überliefert ist, viel zu wenig offenbar, als dass man daraus ein irgend gültiges Urtheil über ihre Schuld oder Unschuld gewinnen könnte.'

esset, nihil est, quod collusionis cum interfectore insimulemus ¹⁾. Ille enim auctor et unicus est, qui palatinum Ottonis partes tenentem commemorat, neque ab ullo alio nec eiusdem nec posterioris aetatis scriptore comes de Wittelsbach Ottonis commodum secutus esse dicebatur.

Levi coniurationis opinione confutata ad causas, quibus impulsus Otto caedem commiserit, indagandas transeundum erit: quae ex omnium consensu in eo positae sunt, quod Philippus Ottoni cum propter fidem eius spectatam, tum ut sibi in posterum obstringeretur, se Beatricem filiam in matrimonium daturum esse promiserat, quod promissum postea ignominiose revocaverat. Hanc agendi rationem ut excusent, qui Philippi sunt partium, afferunt, Palatinum ingenio fuisse duriore atque violentiore, quam ut rex filiae saluti fidem datam anteponeret. Cuiusmodi causam perscrutanti mirum videatur necesse est, quod Philippus, vir mitis ingenii, affabilis, mansuetus, humilis, qualem nonnulli ²⁾ scriptores illius aetatis fingunt, Ottoni, quem consuetudine quotidiana saevum crudelemque cognoverat, filiam desponderit. Quodsi Abel demonstrare studet, familiaritatem Philippi cum Ottone tantam non fuisse, quantam Luden dixerit, contra ea Philippum etiam cum Henrico de Kalentin ³⁾, viro singulari immanitate praedito, cuius incitamenti Conradus, Herbipolensis episcopus et cancellarius, crudelissime occisus est, usu perpetuo coniunctum fuisse inter omnes constat. Haud pauci quidem historici comitem rudem, violentum, iustitiam crudeliter exercentem designant. At in morum notatione, quae non abhorret a veritate, praecipue temporum, quibus vivitur, ratio est habenda. Tempora vero ineuntis saeculi XIII ante oculos ponenti multa, quae Ottoni crimini vertuntur, non modo non excusari, sed potius defendi posse videntur.

Iustitiam nimis severe palatinum exercuisse, fures et latrones persecutum esse eosque ob culpam levissimam morte multasse scribit Caesarius de Heisterbach ⁴⁾, qui crudelitatis eius testis produci solet gravissimus. Quae cum concedamus, aetate, qua vis iure erat potentior, ad morum pravitatem magis magisque crescentem comprimendam de sceleratis gravissimum supplicium sumendum fuisse, quis negare poterit? Eiusmodi exempla ab antiquissimis temporibus usque ad nostram memoriam nationes vel humanissimae praebent permulta.

Altera ⁵⁾, cur Philippus filiam Ottoni desponsatam tradere denegarit, causa nex cuidam nobili, ducis Bavariae familiari, quem Arnoldus Lübecensis ⁶⁾ Wolfium appellat, illata commemoratur. Eundem palatinum homicidam fuisse multorum nobilium annales Argentinenses tradunt

1) Raumer l. c. 'König Otto, dessen Untergang sich im Falle des nach 3 Tagen wieder ausbrechenden Krieges vorhersehen liess, ist von keinem als Urheber oder Theilnehmer des Mordes bezeichnet worden, und wie dürfte man jetzt argwöhnischer sein, als in jenen Tagen feindseliger Parteiung?'

2) Chron. Sampetr. l. c. — Chron. Ursperg. p. 111 u. 129. — Arnold. Lübec. l. c.

3) Chron. montis sereni ad a. 1202. — Arnold. Lübec. VII, 2. — Otto de St. Blasio. 42.

4) Caes. Heist. dialogus miraculorum I distinctio VI, de simplicitate c. 26. 'Bertolphus Palatinus de Wittelsbach iudex erat severissimus, ita ut furibus etiam pro damno unius oboli vitam auferret. Et sicut a quodam abbate audivi, quotiens exivit, laqueos cingulo suo appendit, ne reorum poena caperet dilationem.'

5) Chron. Ursperg. p. 128. 'Fuit autem occisus 10. Cal. Iul. hac sola causa, quia cum desponsasset unam de filiabus suis praefato sceleroso, idem quendam liberum, familiarem ducis Bavariae, perfide interfecit, de qua perfidia coram principibus notatus fuit, ideo rex filiam suam ei tradere denegavit.'

6) Arnold. Lübec. l. c. 'Palatinus crudeliter quendam de melioribus terrae Wolf nomine occiderat, unde graviter Philippum offenderat.'

eamque ob rem ex iudicio proscriptum fuisse. Omnibus, quae ad rem attinent, inexploratis, quanta eius culpa fuerit, quis diiudicare poterit? Principum, qui cum in Germania omnia divina humanaeque iura permiscerentur, suo tantum commodo consulebant, Otto latronibus tollendis praedandi eorum cupiditati obstans sine dubio in acerrimum odium venerat, quare damnatio, si qua fuit, haud mira videtur.

Ceteris omissis, num damnatus sit, dubito, propterea quod Chronicon Urspergense et annales Argentinenses¹⁾ soli mentionem faciunt damnationis, quorum alterum, Burkhardum de Ursperg, cum ad eam iracundiam processerit in Ottonem, ut caedem eius per Henricum de Kalentin factam commemorans abstinere non potuerit, quin voce uteretur hac: 'facinorosus ille *glorioso* fuit interfectus' scriptorem non possumus non existimare, qui invidia ductus iniquius de Ottone iudicaverit ac falsa et ficta de eo retulerit. Atque si verum est, quod Otto de St. Blasio scribit, Philippum propter cognationem nimis propinquam fidem datam fregisse, quid est, cur Ottonem necis Wolfio illatae convictum putemus? Quae res si ita se habuisset, regi alia recusationis caussa opus non fuisset. Germaniae statum, qui illo tempore fuit, si contemplabimur, quin Philippus iis, quas supra denotavi, partibus impulsus sit, ut Ottoni filiam in matrimonium dare nollet, quis est, qui dubitet?

Haec gravissima erat facinoris caussa, quippe quae Ottoni primam odii atque irae materiam praerberet in Philippum. Neque vero multo post palatinus iniuriam sibi illatam oblitus esse videbatur, cum Gertrudim, Henrici ducis Silesii filiam, sibi despondit²⁾. Quo facto Philippus tantum aberat, ut maculam perfidiae deleret, ut his quoque nuptiis impedimento esset, Henricum ducem admonens, ut Ottonem, virum ferocem atque iracundum caveret. Horum palatini sponsalium auctores sunt Arnoldus Lübecensis (VII, 14) et Hermannus Cornerus (Chron. Slavorum continuatio), qui illa de re refert haec: 'Cum Philippus rex contra Ottonem, regem Romanorum et Waldemarum, regem Danorum, venire diserneret, et contracto exercitu innumero in Babenberg consisteret, repente miserabilis et inopinata dissensio inter ipsum et Ottonem palatinum comitem orta est. Sane rex Philippus filiam suam Ottoni, utpote viro nobili desponsare decreverat. Sed quia idem Otto nimis erat crudelis, mutata voluntate sua et propositum desponsationis mutaverat. Quod intellegens Otto palatinus pro filia ducis Poloniae Henrici laborabat dixitque Philippo regi: domine, meminisse volumus clementiam vestram, quam fidelis vobis semper extiterim et quanta in gwerris vestris expenderim. Idcirco peto nunc, in modico sitis pro me et litteras recommendatorias domino, duci Poloniae, dirigatis, ut coeptum desponsationis negotium mediante vestra maiestate perficiatur. Cui rex: id libenter faciam. Et ille gavisus de promisso iussus est post horam reverti. Quo abeunte scriptae sunt litterae et sigillo regio signatae. Cumque palatinus litteras accepisset, mox incidit

1) Annales Argent. ap. Böhmer F. III, 96. 'Lubricus existens et homicida multorum nobilium per querimoniam atque iudicium fuit proscriptus et sic longo tempore perdurans, a principibus tandem diiudicatur, ut filiam suam rex deberet rehabere, quia indignus videretur regiae excellentiae.'

2) Chron. Polonorum ap. Sommersberg, SS. Siles. I, 40. 'Sic Henricus duxit in uxorem S. Hedwigim, filiam Bertoldi, ducis Meraniae, sororem videlicet Gertrudis, reginae Ungariae, de qua suscepit tres filios et tres filias . . . Gertrudim abbatissam. quae cum desponsata fuisset palatino Reni, qui regem Alemanniae Philippum occidit, posteaque propter hoc ipsum occisus est, deinceps alteri nubere recusavit.'

menti eius suspicio. Unde dixit ad quendam sibi familiarem: aperi mihi litteras, ut sciam tenorem rerum. Qui perlectis litteris expavit et litteras exponere recusavit. Sed tandem compulsus eas legit. Palatinus autem audiens tenorem earum graviter exasperatus est.⁷

Haec narratio quamquam magnam partem fabulam sapere videtur, tamen in omnibus, quae cum ea cohaerent, rebus ficta non est habenda, praesertim cum, ut Raumer, clarissimus ille imperatorum Staufensium scriptor, rectissime dicit¹⁾, summa relationis abiecta de proximis, quae Ottonem ad facinus perpetrandum impulerint, caussis in incerto relinqueremur. Philippi enim recusationem tam longo tempore post in Ottonis animo iterum sibi desponsuro odium procreasse, quod nisi adversarii sanguine non posset expleri, nemo est, qui credat. Denique quae legimus apud Arenpeck in chronicis Boiarorum²⁾, Philippum cum rege Bohemiae per litteras communicasse, Ottonem esse leprosum, quamquam fere eadem sunt, atque supra commemoravimus, tamen non est mirandum palatinum de illius perfidia repetita certiore factum maxime esse exacerbatum. Quibus rebus cum Ottonis nomini nota turpitudinis inusta esset, nullus tamen apud auctores veteres extat locus, unde certo concludere possimus, quo tempore ei regis interficiendi consilium in mentem venerit. Omnes res, quibus Otto commoveri potuit, ut ad tam repentinam iracundiam progrediretur, animo mihi pervolventi fatali illi diei parum momenti tributum esse videtur, quo Philippus filiam Ottonis de Burgundia, fratris sui, nuptam tradiderat duci Meraniae. Huius coniugii inauguratione ad eum furorem processisse Ottonem, ut regem occidere statueret, quis est, qui eius mores spectans infitietur. Scriptores, qui nuptias illas memoriae tradiderunt, utrum Otto eis adfuerit, necne cum omnes in medio relinquunt, nihil obstat, quominus sumamus, Ottonem hoc die ad expeditionem paratum Bambergam venisse nuntioque de nuptiis illis solemnibus allato pristinae ignominiae reminiscentem in Philippi palatium accurrisse iniurias sibi illatas regis sanguine extincturum. Quod facinus Otto si bono consilio perpetrasset, nonne fugam melius praeparasset? num ad episcopum Bambergensem eiusque fratrem confugisset eosque suspicioni societatis implicasset?

Omnibus, quae ad caedem illam funestam spectant, pro facultatibus illustratis primum demonstrasse mihi videor, coniurationem extitisse nullam, deinde Ottonem repentino animi impetu scelus commisisse et illud quidem, ut iniurias sibi illatas ulcisceretur: palatinum denique non fuisse ea crudelitate atque immanitate, qualem multi chronicorum annaliumque scriptores finxerunt. Nam si eiusmodi vir fuisset, iniuriam iterum acceptam opus non

* 1) Raumer l. c. II 666. 'Im Falle der Verwerfung dieses Briefes gerathen wir jedoch über die Gründe der That Otto's ganz in's Dunkle, indem das Ablehnen Philipps, ihm seine Tochter zu geben, nach so langer Zeit schwerlich solchen Jähzorn erzeugen konnte und um so weniger erzeugen konnte, wenn Otto wirklich schon auf eine neue Ehe bedacht war.' — Abel l. c. XIX adn. 21. pag. 387. 'Dass Otto seine Rache so lange aufschob, das macht neben den vorzugsweise dunkeln Umständen seiner zweiten Brautschaft Otto's That so räthselhaft.'

2) Arenpeck chron. Boio. V. apud Pez thes. III, 3. 241. 'Philippus insuper dictum Ottonem de lepra apud regem Boemiae infamavit, cuius filiam idem palatinus ducere debuit in uxorem, qui viduus fuit. Intimavit etiam uxori suae per litteras notam leprae, quae litterae ante praesentationem apertae fuerant et sic res patuit.'

fuisse censeo, ut ultionem peteret. Quare Ludeno¹⁾ facere non possumus, quin assentiamur mirandum esse dicenti, veteres scriptores, qui res minimi momenti saepe summo cum studio persequerentur, Ottonis ferocitatis ante Philippi mortem mentionem non fecisse, postea vero omnia crudelitatis eius exempla in medium protulisse, quasi demonstraturi Ottonem, virum moribus corruptissimum, vel levissima caussa ad facinora flagitiosissima potuisse commoveri.

1) Luden l. c. adnot. 25. p. 639. 'Man vergesse nicht, dass die Vorwürfe, die man Otto gemacht hat, erst alle nach seinem unglücklichen Tode gemacht worden sind, und weil kein Beweis vorliegt, gar keine Beachtung verdienen. Und was geht zuletzt aus diesen Vorwürfen hervor? Dass Otto ein strenger Pfalzgraf gewesen und Räuber und Wegelagerer nicht geschont hat. Weiter nichts.'

